



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

**Parisiis, 1644**

Dicta apostolica, in quibus Deus nominatus sit Christus. Cap. XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15241**

ANNO CHRISTI 431. inquit, *estis templum Dei viui. & rursus: Nescitis, corpora vestra tem-*  
*plum esse Spiritus sancti, qui est in vobis, quem habetis a Deo?* Verum  
si ita aiunt & ipsum esse Emmanuel, & tamquam vnumquemque  
nostrum, inhabitantem in se Deum habuisse; aperte confiteantur,  
& cum ipsum adorari conspiciunt tam a nobis quam ab angelis in  
caelo pariter & in terra, erubescant, tamquam diuersa sentientes, &  
literarum sacrarum propositum nescientes, nec habentes inse fidem,  
quam nobis tradiderunt hi, qui in principio & viderunt, & ministrata  
uerunt Verbo. Sin autem dicant, quod propterea Deus sit, & vt  
Deus glorificetur, quia in eo tantum inhabitaret Dei Patris Ver-  
bum, ac non propterea, quia factus sit homo; audient rursus a no-  
bis: *Si in eis, qui inhabitantem inse Deum habuerint, satis est ut id-*  
*circo vere dii esse possint, & ab omnibus adorentur, omnes sunt dii*  
*& adorandi. inhabitat enim in sanctis angelis: habuimus autem &*  
*nos ipsum in nobis per Spiritum. sed non sufficit hoc natura deos*  
*ostendere, & adorandos eos qui habent Spiritum: igitur non pro-*  
*pterea Deus est adorandus Emmanuel, quod inhabitat in eo, tam-*  
*quam in homine communi, & scorsum intelligendo in partem, Do-*  
*mini Verbum; sed quod factus sit caro, id est homo. mansit enim*  
*idem & Deus & adorandus.*

*Dicta apostolica, in quibus Deus nominatus sit Christus.*

CAP. XIX.

I.

**D**E mysterio (dicens secundum Christum) quod aliis, inquit, gene- Ephes. 3.  
rationibus non est agnatum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est Coloss. 1.  
sanctis eius, quibus voluit reuelare diuitias gloriae mysterii huius in gen-  
tibus, quod est Christus in vobis spes glorie, quem nos annuntiamus. Si  
igitur est theophorus, ac non Deus vere, quomodo ipse est diuitiae  
gloriae mysterii, quod annuntiatur gentibus? vel quomodo omnino  
Deus annuntiatur?

Aliud.

CAP. XX.

II.

**V**OLO enim vos scire, qualem solitudinem habeam pro vobis, & Coloss. 2.  
pro iis qui sunt Laodicea, & quicumque non viderunt faciem meam  
in carne: ut consolentur corda ipsorum, instructi in caritate, & in omnes  
diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Christi.  
Ecce mysterium Dei, mysterium nominat Christi; & plene intelli-  
gere quosdam vult\*imaginationem ipsius. Quo igitur intellectu opus  
erat voluntibus Christi mysterium discere, si fuerant audituri quod  
inhabitarit in homine Deus? Opus enim nimio intellectu, vt scias  
contra, quod Verbum, cum sit Deus, factum sit homo.

Aliud.

CAP. XXI.

III.

**A**Vobis enim sonuit sermo Domini, non solum in Macedonia & 1. Thess. 1.  
Achaia, sed in omni loco, fides vestra que est ad Deum, exiit.  
Ecce iterum in Deum fidem factam esse commemorat, cum etiam  
Christus dicit: *Qui credit in me, habet vitam eternam.* Nam sermo- Ioan. 6.  
nem Domini, prædicationem dicit de seipso.

V iii